

B. M. II, 86.
h. 17, 5.

(X 1880749)

II R
2120

Q. D. B. V.

De

JURE PRINCIPUM,
PENES QUOS EST
ELECTIO IMPERATO-
RIS ROMANI,

SUB PRÆSIDIO

EXCELLENTISSIMI JCTI,

DN. WILHELMI LUDWELLI,

In Academiâ Altdorffinâ Antecessoris Primarii,

Principis Palatini Sulsbacensis ut & Reip. No-
rimbergensis Consilarii, &c.

DOMINI, FAUTORIS AC DOCTORIS
SUI MAXIME COLENDI,


Solemniter disputabit

Gottfried-Hermannus à Beichling,

Die Martij,

ANNO MDCLXXII.

H. L. Q. C.



ALTDORFFI,

Literis JOHANNIS GÖBELII.

17.



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. JOHANNI GEORGIO II.
S. R. I. ARCHIMARESCHALLO ET ELECTORI,
DUCI

Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium,
MARCHIONI

Misniae & utriusque Lusatiae,
LANDGRAVIO

Thuringiae,
BURGGRAVIO

Magdeburgensi,

PRINCIPALI DIGNITATE COMITI

Hennebergiae,

COMITI



in Marca & Ravensburg,

DYNASTAE

in Ravenstein, &c.



Domino suo Clementissimo

Hoc quaecumque exercitium Academicum in fidem
gratissimi animi pro innumeris sibi suisque inde
ab aliquam multis annis liberali manu exhibi-
tis beneficiis, & in subjectissimam ulteriorem
sui recommendationem dicat

Serenissimae Ipsius Celsitudinis

Obsequentissimus & humillimus

Gottfried-Hermannus à Beichling.



THESIS I.



Imperia non obtineri viribus, nec sustineri consiliis humanis, nedum casu, sed ut ea vel consistant vel ruant, divinæ dispensationis & voluntatis esse, omnes qui sunt Christiani nominis mecum fatebuntur; quæ sicuti virtuti auxiliatrix, ita vitiis hominum adversatrix semper prædicatur in historiis [a]. Hinc non minus verè quàm concinnè respondit ille Angelus, cùm interrogatus esset à Gallo, quoniam tempore reversuri sint Angli virtute Caroli VII. repulsi? tunc, inquit, quando vestra peccata & numerò & gravitate nostra superabunt.

[a] Peuc. in epist. de-
dic. ad 1. p. Chron. Ca-
rion.

I I. Eò respexisse videntur quatuor illi Philosophi [b], qui consulti de causis conversionum Rerum publ. responsionis locò prodiderunt sequentes:

[b] Apud Ventur.
de Valent. in Partib.
Litig. lib. 1. cap. 6.

1.

Unum	}	Duo	}	Veritate.
Amicus		Inimicus		Fidelitate.
Bonum		Malum		Pietate.

ideoq; regnum est sine
2.

Potentia	}	Justa	}	Lege.
Dies		Nox		Vita.
Fuga		Pugna		Honore.

ideoq; regnum est sine
3.

Ratio parit Licentiam	}	Regnum est sine Nomine.
Creditarius est Fur		Terra sine Pecunia.
Cornicula vult esse Aquila		Nulla Discretio in Patria.
4.

Voluntas est Consiliarius	}	Regnum malè administratur.
Denarius est Judex		Terra malè regitur. [ribus.
Deus est mortuus		Regnum plenum est peccato.

I I I. Sicut verò naturâ comparatum est, ut mortem omnes ex æquo fugiant, adeoque nemo non manibus pedibusque tueatur corpus suum atque vitam, declinet nocitura & acquirat necessaria

[c] Cic. *1. de Offic. c. 3.* pro viribus [c] : Ita quoque boni Principes, aut penes quos fuit major Reip. cura, suum esse semper duxerunt, videre, ne Resp. (cujus salus æquè ac propria ipsis est concredita) detrimentum capiat. Proinde non secus ac medici, qui malos humores è corporibus expellunt & evellunt, si ægrotis salutem conferre volunt, contagiosos Reip. morbos sustulerunt, & sic provincias in stabili tranquillitatis statu continuerunt, vel ad minimum ab interitu eos vindicarunt certarum legum beneficiò [d].

[d] *Conf. Cusan. lib. 3. de Concord. Cathol. in proam.*

IV. Unde tam multæ SS. Leges, aureæ sanctiones, quas quisque populus sibi constituit, & unicum vinculum esse reperiit, per quod Resp. utut quassata firmiter cohærere possit. Quod autem medicamenta morbis, hoc exhibent Leges negotiis. Hinc consequitur, ut nonnunquam à judiciò discordet effectus, & quod credebatur conjectura semper prodesse, experimento inveniatur inutile, quod sæpissimè in nostro jure probant Novellarum constitutiones [e].

[e] *Nov. cxi. pref.*

V. Nos verò gratulabundi dicere possumus de Legibus nostræ Reip. fundamentalibus: præclarè agi nobiscum, quòd majores nostri Remp. nostram tam bene constituerint, ut nunc non de nova hujus formæ inducendâ, sed de veteri vel retinendâ, vel recuperandâ consilium nos inire oporteat [f]. Ut de cæteris nihil dicam, quis nescit constitutionem Ottonis III. quâ jus eligendi Imperatorem, exclusis exteris & peregrinis, transtulit in solos Germanos, Edictum Ludovici Bavari de Electorum circa eligendum & Electi in subditos potestate, esse tales leges, quibus ipsa Reip. fundamenta tanquam arctâ catenâ & spiritu quasi vitali hæctenus colligata sunt?

[f] *Iul. Pfug. in Oraa. de Rep. Germ. in pr.*

VI. Si qua harum aliarumve salutem præ cæteris promovet publicam, ea sanè erit, quâ augustissimum Electorale collegium est vel institutum, vel confirmatum ornatumque speciosis privilegiis. Divinæ enim dispensationis ac Rom. Imp. præcellentiæ non minima pars est Septemviratus principum Electorum, cujus inconvulsus status à prima institutione ad nostra usque tempora omnes unò ore prudentes rei censores [g] vocant vinculum & nexum firmissimum totius Imperii, absque eò si fuisset, mali pacis ac diuturnitatis custodes fuissent factiones & discordiæ [h]. Opera ergo pretium erit, in horum Archipp. dignitatem & jura inquirere; quod Deus benevertat!

[g] *Gevvold. in tr. de Septemv. c. 2. in pr.*

[h] *Arg. A. B. pr. C. tit. 3.*

VII. Ut

VII. Ut rem ordiar ab ovo, non inconueniens est de Electorum origine pauca præmittere; nbi non possum non querulari cum aliis [i] de crassa ac supina negligentia Monachorum, (apud hos enim olim sola fere fuit Reip. literariæ administratio) qui ne verbum quidem de hâc posteritati reliquerunt, occupati saltem in enarrandis paschalibus vel natalitiis quæ Impp celebrarunt.

[i] Peuc. d.l. in Gest. Otton. III. Onuphr. Panvin. de Comit. Sim. Schard. de Elect.

VIII. Quo factum est, ut posteri non habentes, cujus fidem sequerentur, ex comitiis, rebus gestis & Electionibus Impp. aliisq; verisimilibus circumstantiis veritatem impensè quæsitam difficulter invenerint, & quod capita, tot divortia sententiarum hac de re fecerint. Alii namque Carolos Magnum & IV, alii Ottones III. & IV, autores adducunt, alii Henricum II, Conradum Salicum, Fridericos I. & II, nonnulli in Concilio Lugdunensi, rursus alii post concilium istud circa imperium Rudolphi, alii denique sunt qui ad Pontifices, putà Gregorium V. Saxonem, Sylvestrum II, & Innocentium IV, Septemviratus institutionem deducunt.

IX. Veriores videntur, qui originem hanc acceptam ferunt Ottoni III, ad stipulante ipso Moguntinô collegii hujus Electoralis Decanô rerum Germanicarum peritissimo [k]. Circa quam opinionem verè mihi contigit, quod sibi contigisse cæteras opiniones examinanti scribit Schardius [l]. Scilicet quò magis magisque de ea re cogitavi, tantò in extricabilior difficiliorq; est facta, ita ut sæpius in hanc sententiam concedendum, & hastâ abjectâ ex arenâ secedendum arbitrarer.

[k] In Orat. ad Coelect. de Carol. V. ap. Gold. Imp. Polit. P. 1. t. 7. pag. 124.

[l] d. tr. cap. 9.

X. Sed quo minùs cum his vel illis faciam, effecerunt qui Electorum exortum ex longâ deducunt consuetudine, aded ut mihi persuasum prorsus habeam, hanc ipsam opinionem præ cæteris esse defendendam. Is namque omnium fere rerum quæ consuetudine & moribus introducuntur paulatim, passus esse solet, ut vestigium vel nullum vel admodum exiguum ortus sui & progressionis reliquant, quarum irreptio tam tacita esse consuevit, ut vix unquam percipiatur, nec nisi conversione secutâ sentiatur [m]. Imprudentibus enim nobis sese insinuat, voluntatesque nostras obscure primùm, tum etiam apertè sibi conciliat, postremo tantum acquirit autoritatis & gratiæ, ut regnet & dominetur lege potentius, eò tamen intellectu, quò dicit Connanus [n].

[m] C. longinquitate 64. caus. 12. q. 2. Bodl. lib. 2. de Rep. cap. 6. & lib. 6. cap. 5.

[n] 1. Com. 10. n. 5. ap. Reinking. 2. 2. 9. n. 5.

XI. Cui lubet retexere historias ab Henrico IV. usque ad Fridericum II, ei satis atque satis constabit, quò propiùs Electiones Impp.

Imp. attigisse tempora modò dilaudati Friderici, eò constrictiores eas fuisse factas, nostris sedulò intervenientibus, cæteris verò proceribus de suo jure vel sponte vel sic urgente rerum statu remittentibus, prout Arnifæus [o] & Dn. Conringius [p] pluribus demonstratum dederunt, ad quos cupidum lectorem remittere, quàm omnia hîc transcribere malo.

[o] *de Rep. lib. 2. c. 6.*
[p] *ad Lamp. de Rep.*
c. 4.

XII. Seculò denique XIII. postquam Fridericus II. anathemate ab Innocentio IV. esset percussus, certum est, eò vivo duos Antecæsares à solis VII. Viris renunciatos esse. Ut ad eò ab historica fide absolum haud sit, dicere, factum esse circa tempora hujus Imperatoris, ut suffragantium numerus contraheretur in pauciores [q]. Quod eò facilius factu fuit, quia alia & penè nova Germaniæ discepta, exhausta & enervata facies videbatur, alia ordinum distributio, alia familiæ in priorum vestigia successerant, quarum quaedam novæ erant, quaedam de veteribus reliquæ ex obscura conditione & humili rursus excreverant & inclaruerant; nostri verò non tantum præstantiori prosapia præ reliquis ferme soli superbiebant, sed etiam dignitate. Hinc in speculo juris Saxonici [r], cujus Autor eò vixit tempore, & Chronicò [s] Alberti Stadiensis dicuntur illi ideo facultate eligendi pollere, quod tres quidem Cancellarii sint Imperii: Palatinus Dapifer, Saxo Marschallus, Marchio Brandenburgicus Camerarius, Rex verò Bohemiæ Pincerna.

[q] *Peuc. in Chron.*
Car. p. 782.

[r] *lib. 3. f. 57.*
[s] *Sub A.D. 1240.*
f. 215.

XIII. Et sic quod nulla expressâ lege id diuturnâ consuetudine insensibiliter introductum fuit, & tandem radicibus aliis actis, lege publica h. e. Aurea Bulla stabilitum, & comprobatum communi procerum assensu. Atque hoc ipsum est, quod in d. l. [t] jura Electoralia dicuntur Electoribus competere de jure & antiquâ consuetudine.

[t] *A. B. t. 1. pr. t. 4. §. 2.*
§. 3. t. 5. §. 3. t. 9. §. 2.

XIV. His ad Lydium historiarum lapidem excussis, videat Innocentius III. quam bene cohæreat sua epistola [v], qua sedi Apostolicæ Electorum potestatem originaliter vindicat; videat Innocentius X. hodierni Pontificis antecessor quo jure Leges Pacis Osna-brugis latas impugnaverit [x], quasi nefas fuerit Octavum Electorem, Ducem Bavariæ, addere sine Pontificis autoritate. Inclementius non dicam quàm quod Anonymus [y] sub persona militis dixit in re non ad eò dissimili: Cum nihil restat nisi scribere, quia erit suum, cum scripserit, facilè potest sibi jus acquirere, super rem quamlibet, & sic totum erit vestrum ubi statuere nihil aliud est, quam

[v] *in cap. Generabiles.*
extr. de Elect.

[x] *In declarat. nul-*
litatis articulorum
vac. Germ. ap. Dn.
Limn. int. 2. addit. ad
lib. 1. c. 12. p. 230.

[y] *In diss. int. Cler.*
& Milit. ap. Sim.
Schard. de Idetione
Imp. p. 677.

quàm sibi tenere velle. Nihil ergo aliud erit jus habere, quam velle: Non habet ergo, nisi ut scribat: hoc volo jus esse cum voluerit castrum meum, vel villam meam agrum meum, aut pecuniam & thesaurum habere.

XV. Ut ut de Origine Archipp. nostrorum conveniamus, parum tamen est, quin de eorundem numerò septenariò & ejus introductionis ratione abeamus prorsus incerti, Adeò dissentiunt & variant quicunque in ipsius rationem inquirunt non minus ac Jcti cum de septem testium numerò in testamento adhibendò interrogati respondere tenentur. Sunt enim qui perfectionem vel efficaciam aliquam sub hoc numero latitare autumant [z]; sunt qui optimum discordias in electione natas tollendi remedium volunt [a] nec desunt, qui majores nostros mores attendisse regni Persici cui septem præfuerunt Principes, pro vero venditant [b].

[z] Knichen d. S. 112.
non provoc. jur. c. 10
n. 307. Et seqq.

[a] Onuphr. Panvin.
de Comit. Imp. c. 9.

[b] Peuc. in Chron.
Car. p. m. 783.

XVI. Verùm quis illam efficaciam unquam probavit? Remedium discordiæ solusne septenarius præbet? cur non ternarius, quinaris vel novenarius? Postremam verò rationem vacillare nemo non videt, qui secum reputabit, cur majores non statim ab initio vel postea Persarum sint secuti ex asse vestigia [c]. Si quid posset conjecturis evinci, præ illis placeret illa, quam perhibet Peucerus [d] quatuor scilicet ordines, Reges, Duces, Marchiones & Comites eligere solebant Imperatorem, ne ullus se præteritum queri possit; cumq; ordo Ecclesiasticus propter summam autoritatem unò contentus haud fuerit, duos verò propter votorum paritatem adhibere non licuerit, tertium ad numerum & septenarium conficiendum addi concordiæ ratio suavit.

[c] Dn. Linn. d. l.
P. l. 3. c. 1. n. 31.

[d] d. l.

XVII. Cum verò & hæc non sit ita expedita, ut plenissimam mereatur ad stipulationem, voluntati fortè horum principum relinquendum est, quod numerus eorum septenariò neque major neque minor extiterit. Ex prædictis enim constat, horum familias præ cæteris principum familiis fuisse potentissimas, quarum singulæ cum semel juris sui robur per diuturnum usum confirmarint, eaque solæ huic dignitati pares fuerint, facile & sine expresso eorum consensu fieri non potuit, ut alius sese iis immiscuisset.

XVIII. Hodierna die res planè secus se habet vigore legis illius Palatinæ [e] quæ Osabrugis est sancita. Cum enim diu desiderata & optata Pax patriæ nostræ afflictissimæ non nisi cum integritate Rudolphinæ lineæ comitum Palatinorum, quæ usque dignitate

[e] Art. 4. S. 4.

Electo-

Electoralis fuerat orbata, conciliari posset; nec Dux Bavariae in Electorum numerum jamjam cooptatus citra injuriam ignominiamve cedere quiret, ipsa salus Reip. quae omnibus instar legis esto supremæ, Carolo Ludovico, Comiti Palatino, Friderici V. primogenito & omnibus ejusdem descendens & collateralibus agnatis, assignatus est inter Electores locus octavus, donec Guilhelmiana Bavarica masculina prorsus deficiat.

XIX. Cum igitur in hunc mortalitatis casum provisio facta sit juxta ordinem succedendi in sanctione Carolina expressum, ut videlicet numero Septenariò quasi postliminiò reverso octavus tunc Electoratus prorsus expungatur; & jam olim unus itemq; alter (putà Maximilianus I. pro Archiducibus Austriae [f] & Sicularum Princeps Bethlehem Gabor pro rege Hungariae [g]) hanc dignitatem electoralem perperam expetierit, non est ut existimemus temerè aut casu extitisse huncce numerum Septenarium.

XX. Præmissis præmittendis (inconveniens enim videtur, omissis initiis atque origine non repetitâ, illotis, ut ita dicam, manibus protinus tractare materiam [h]) jam videre lubet, quibusnam juribus præ cæteris principibus gaudeant illi, quibus jus est eligendi. Hæc cum non sint eadem, commodè dispescuntur in communia, quæ nõ minus Ecclesiasticis quàm Secularibus competunt, & Specialia quæ sunt Ecclesiasticis & Secularibus quæ talibus propria. De iis, quibus singuli fruuntur, hic nullus erit sermo.

XXI. Circa communia amplissimus se offerret de dignitatibus Archipp. Electorum scribendi & disserendi campus, & si quis pro meritò ac dignitate de dignitatibus hisce verba facere vellet sufficientia, fortè nec tempus, nec pagina sufficeret ex sententia Dn. Bened. Carpzovii, Meccenatis mei atatem suspiciendi [i]. Proinde si in iis enarrandis justò parcior fuero, vitio fortè mihi non vertetur.

XXII. Præter titulos & encomia istorum principum (quorum potissima cum à modò laudatò Jctò sint attacta, melius ibidem videntur) non parum facit ad eorum dignitatem, quod in celebratione Imperialis curiæ eundò, sedendò vel standò nullus Princeps, cujuscunque status, dignitatis, præminentia, vel conditionis existat, ipsis ullatenus præferatur. [k]

XXIII. Neque injuria. Nam licet nec aliorum principum autoritas, atque in Remp. studia contemnenda vel elevanda putentur

[f] Hartman. Maur. de Coronat. Car. V.
[g] Gold. d. regn. Bohem. lib. 3. c. 5. n. 5.

[h] l. 1. p. ff. d. de Orig. jur.

[i] in disp. feud. 3. 2. ad A. B. 4. n. 1.

[k] A. B. 1. 6.

tur : Hi tamen & dignitate & meritis multis partibus alios superant. Nam quæ major, inquit Sichardius [l], vel sublimior dignitatis amplitudo hisce Principibus deferri vel tribui potuisset, quam quod præ cæteris digni sunt habiti, quorum humeris tanquam firmissimis columnis Germanici, imò occidentalis Imperii celsitudo committeretur : & ut ex ipsis tanquam ex generosissimo germine, Imperatore decedente, Aquila, quæ umbrâ alarum suarum occidentem teget, produceretur.

[l] d. tr. d. Elect. in
procem.

XXIV. Merita verò ipsorum, quibus cæteros antecellunt, evidentiora sunt quam ut indigeant longâ ex historiis demonstratione. Quippe inter omnes constat, qui modò non sint ignari durissimæ conditionis, quâ superioribus seculis ante hujus collegii ordinationem pressa fuit patria, quod hæc ipsa rudera divinâ bonitate conservata sint atq; defensa mirabiliter, sapientiâ, virtute & industriâ gravissimi hujus Senatus Septemvirum in imperio [m]. Quibus effecerunt, ut non solum honorem semper illis habuerint maximum Impp., (quod partim etiam ex eo apparet, quod adventantibus ex longinquo obviam ire soleant [n],) sed etiam jura concesserint haud vulgaria. Quæ nunc excipit nostri instituti ratio.

[m] Peuc. in Chron.
lib. 5. pr.

[n] teste H. Leod. in
annal. Frid. II. Com.
Pal. lib. 4. p. 69.

XXV. Citra controversiam præ se fert excellentiam illud jus, quò statuunt dominum cunctis per secula summum effectivè. Effectivè inquam. nam simul ac in Regem Romanorum quis creatus est in electione concordis, vel à majori parte principum Electorum de se facta, & confirmavit eorum privilegia, hoc ipso in eum omne Imperium & potestas transiit ex mente Impp. Ludovici IV. [o], & Maximiliani I., qui majestatem imperii in ipsius ordinibus, quos representant Electores, inesse non semel dixerunt [p].

[o] Const. Ludov. IV.
in Comit. Colon. 1339.

[p] Bodin. d. Rep.
lib. 2. c. 6.

XXVI. Nequicquam igitur faciunt, qui potissimum hujus juris effectum ad confirmationem, coronationem, & unctionem Pontificiam trahunt, ita ut hæc non requisita aut impetrata Rex Rom. neque nomen Imperatoris habere mereatur, ne dum administrationem imperii. Quid enim unctio aut coronatio aliud præstaret imperiali potestati, quam quod præstat Pontificali dignitati eadem [q]? Imperator non est, quia coronatur, sed propterea coronatur, quia Imperator electus est [r]. Non igitur causam sed adjunctum symbolum regni translatis denotat coronatio, quod majestatem tanquam materia visibilis declarat, & velut signum prædicans admirandam illam potestatem adhibetur [s].

[q] Cusan. d. concord.
cath. lib. 3. c. 4.

[r] Frid. Mind. lib. 1.
d. proces. c. 29. n. 11.

[s] Cusan. d. l.

B

XXVII. Sed

XXVII. Sed nonne etiam (inquiet aliquis) in coronatione, quæ per Papam Imperatori impenditur, mutatur ut prius Rex & postea Imperator vocetur? Si cum Cardinale Cusanô, juris Imperialis consultissimô, respondere fas est, ita tenemur: nihilominus potentia imperandi prius in eo fuisse arguit, quod notissimum est. Fuit itaque in veritate Imp. dum in liberâ potestate habuit imperare, etiam si vulgò non ita nominaretur. Sed ut ad ipsam coronationem anhelet rex, servatur huic solennitati hoc nomen. Si verò cum Peucero [t]: lis erit de jure nominis seu titulis, non de jure rei. Quod ipsum tamen ut plenè stolidum & ridiculum est, sic si tueri id volent,

[t] *in Chron. Car. ad Otton. 3.*

[u] *Capitul. Leopold. art. 37.*

[x] *Capitul. Carol. V. art. 30. Rudolph. II. art. 31. Matth. 38.*

Ferd. II. art. 37. Ferd. III. art. 39. Ferd. IV. art. 37.

[y] *in disp. feud. 2. q. ad A. B. 2. n. 21. & seqq. usq. ad f.*

[z] *d. Cap. Leop. art. 1.*

ut à quo ante Carolum acceperint, ostendant necesse est. Hodie ita parvi æstimatur, ut neque Leopoldus noster ad eam solennitatem celebrandam sese obligaverit [u]; utut antecessores sui obligati fuerint. [x]

XXIIIX. Hic quæstio incidit: an nostri Archipp. pro eâ, quâ pollent, facultate principem Augustanæ Confessioni addictum in solium possint evehere imperiale? Non vereor in castra affirmantium ire cum Dn. Carpzovio [y], non obstante quod Rex Roman. juramento obligetur ad defensionem Pontificis Romani & Catholicæ Ecclesiæ, cujus est Advocatus. [z]

[a] *A. B. t. 2.*

XXIX. Num verò citra præjudicium libertatis ulteriorem ex domo Austriacâ? Affirmativa satis radicatur in juramento Electorum, cujus formulam Carolus IV. [a] ipsis præscripsit, quò tenentur per fidem, quâ Deo & S. Rom. Imperio sunt astricti, secundum omnem discretionem & intellectum suum eligere temporale caput populo Christiano. Quin imò multum detraheretur ipsorum libertati, si habitò respectu eorum, qui jam ex eâ domo ad Clavum Reip. federunt, maximè idoneum ex eadem seligere nefas esset [b].

[b] *Windeck. d. Elect. Imp. c. 9. p. 31.*

XXX. Superiori seculo maximè agitata est illa controversia, an vivò adhuc Imp. Regem Rom. eligere possint? Et quamvis multis modis Jcti Saxonici & alii repugnarint Ferdinandum I. hoc casu electum defendentibus, allegando A. B. quæ mortuo demum Imperatore & vacante imperio ad electionem Regis Rom. descendere eos jubeat, efficere tamen non potuerunt, ut adversarii in ipsorum sententiam iverint. Hodierno die tantum abest, ut hoc in dubium vocari possit, ut expressa lege [c] facultatem hanc sibi reservarint.

[c] *Cap. Leopoldi III. art. 36.*

XXXI. Benè tamen hic notandum est, quod citatio ad hunc actum non nisi cum præscitu & consensu omnium Electorum fieri debeat,

debeat, attestante [d] ipforum Decano Georgio Fiderico A. M. cu-
 jus hæc sunt: Bey Ausschreibung eines Wahl-Tages ist nothwendig
 in acht zu uehmen / das bey Lebzeiten eines Römischen Kaysers und
 Ober-Hauptes im Reiche sich nicht geziemen wolte / ohne ausdruck-
 lichen Willen und Geheisch der Sämtlichen Ehr-Fürsten / einen
 Wahl-Tag auszuschreiben. Quod secus esse in altero casu, ubi Im-
 perator esse desit, plus quàm expeditum est.

[d] *In lit. ad Imp.
 Ferd. II. datis Wschaf.
 fenburg d. anno 1627,
 28. Mart.*

XXXII. Et quamvis optimo jure cum Friderico I. [e] glo-
 riari nostri possint:

[e] *ap. Gunth. in Li-
 gur. lib. 3. Vers. 467.*

*Laude venimus onusti,
 Non est Teutonico cumulata pecunia cordi:
 Nec sibi querit opes, sed pulchræ laudis honores,*

cujus vestigia firmiter pressit Fridericus III. Elector Saxonix, dum
 oblatam pecuniam, teste Sleidano, Carolo V. remisit, jure tamen
 quodam provisi citra notam existimationis aut crimen repetunda-
 rum, possunt, si velint, per actâ electione certam pecuniæ summam
 exigere ab Imperatore, si credendum est literis Alberti Electoris
 Saxonix ad Wenceslaum [f].

[f] *ap. Gold. in Reichs-
 Handl.*

XXXIII. Insuper hîc inquirendum duxi, qui busnam ca-
 pitulationis Imperatori præscribendæ facultas competat? Si Mo-
 guntinum tempore Caroli V. eligendi audire, & capitulationes
 subsequenter usq; ad Ferdinandum IV. pro exemplis tenere ve-
 limus, augustissimo nostro collegio solummodò erit attribuenda.
 Secus est, si inhæreamus, prout tenemur, verbis Instrumenti pacis
 Osnabrucensis [g], quorum juxta tenorem in partem hujus solici-
 tudinis etiam reliqui Status admittuntur. Hinc tam Ferdinandi IV.
 quàm Leopoldi capitulatio modò huic legi conveniente est con-
 cepta.

[g] *art. 8. §. 3.*

XXXIV. Sicut igitur ex prædictis haud obscurè patescit,
 quali circa eligendum potestate nostri polleant: ita, juxta quorun-
 dam sententiam, non minori circa removendum Imperatorem gau-
 dere videntur. Quid enim juri naturali convenientius, quam eo-
 dem genere quodque dissolvere, quò colligatum est [h]? Unde Mo-
 guntinus eâdem ratione ductus contra Henricum IV. declamare
 non est veritus, quem meritò investivimus, quare immeritum non
 deestiamus [i]? Sic Adolphus Nassovius; sic Wenceslaus ob actio-
 nes sacratissimâ dignitate minus dignas experti sunt [k], quod hæc
 sententia non fuerit de nihilo. Præsuppositis itaque præsupponen-

[h] *l. 35. ff. d. R. I.
 Nov. 1 §. c. 1. in fin.*

[i] *Arnif. lib. 1. d. jur.
 Maj. c. 6. n. ult.*

[k] *Cusp. in Sit. A-
 dolph. Nassov. & Ar-
 dis, nis. d. l. c. 5. n. 5.*

dis, si scilicet Imperator talis existat, qui ipsum societatis civilis & Reip. vinculum dirumpere conetur, & potissima convellat fundamenta, non tanquam Imperatorem, sed fidei & juris temeratorem per Electores jure depelli imperiô sustinent, & nisi fallor, rectè.

XXXV. Si Imp. spontaneo motu dignitatem abdicare velit Cæsaream, cujusnam consensu hoc facere tenetur? quæstionis est. Quoniam ejusmodi abdicatio nihil est aliud, quàm debitæ obedientiæ & subjectionis remissio, veriùs cum Lampadio [l] dixerim, eorum consensu fieri debere, qui obedientiam debuerunt; cumque ii procul dubio immediati sint Imperii Status, quos representant Electores, coram his illam dignitatem ejurandam esse efficitur [m]. Hinc intelligitur, quo jure Paulus IV. Romano-Catholicorum Pontifex impugnaverit resignationem Caroli V. & Ferdinandi I. inaugurationem. Adeò sibi omnia vendicat iste homo, ut non minus verè quàm nervosè ille Abbas Exemptus [n] quærenti cujus partis orationis sit Papa? responderit: Papa est participii: quia partem capit de clero, partem de seculari, cum totius orbis doloris significatione, sine modis & temporibus.

XXXVI. Eorundem cum Imperatore electo est arctissima conjunctio, adeòque non solum ipsi prudentiâ consiliòque adsunt, ejusdemque sublimitati adsistunt, tanquam in partem sollicitudinis admissi [o], sed etiam in multis in administratione Imperii cum eodem ita concurrunt, ut citra ipsorum consensum, ritè vel validè nihil peragatur, prout apparet ex plurimis Ferdinandi III. capitulationis articulis: Quamvis negandum haud sit, quòd hodiernus Imperator in gravioribus negotiis, quæ totum respiciunt Imperium, etiam reliquorum procerum auctoritatem suspicere teneatur, nisi circumstantiæ necessitatis eum excusent, quò casu Electorum requisito sufficiens erit [p].

XXXVII. Timeo itaque parti illorum, qui collegium Electorum habere formam tantùm privati Senatus, quem Imp., ubi velit, consulat, existimant. Sic rectiùs fortasse Parlamenta Galliæ, cum quibus ex dicto principio hoc Collegium confundunt, Camera Spi- rensi comparantur, utpote quæ nihil sint nisi Curiæ judicum pretio conductorum, quibus in privatas quidem lites Jurisdictionem concessit Rex, non autem ea quæ à rege ipso pro Regno geruntur, nisi quatenus in consilium adhibentur, ex mente Arnisæi [q].

Hinc

[l] *de Rep. c. 2. §. 9.*

[m] *R. I. de anno 1559. in pr.*

[n] *ap. Hordled. von Ursachen des Teutschen Kriegs! l. 1. c. 47. n. 53. Aut. Alsear. Rom. part. 6. c. 4.*

[o] *A. B. t. 2. 7. §. 30.*

[p] *Capit. Leopold. in mult. artic.*

[q] *de Rep. lib. 2. c. 6. n. 75.*

XXXVIII. Hinc non sine ratione præ aliis hoc singulare obtinent, quod illis pro salute & incolumitate Imperii absque ulla veniæ impetratione conventus liceat celebrare [r], nec tantum consultare, sed & remedia malo applicare atque constitutiones de illis, quæ eorum collegio sunt commendata, edere [s]. Cum enim multiplices Reip. curæ non patiantur Cæsarem omnibus intentum esse, & insuper in modum depositi privilegia cæterorum Statuum Imperii Electorum custodia & fidei-commissa sint eâ sub lege, ne ipsorum neglectu ullum capiant detrimentum [t], & proinde salutem magis quam ruinam procurare præsumantur, digni fuerunt, ut hoc ipsum iis concederetur, sine quo curam suam non nisi difficillimè explicare possent [v].

[r] A. B. t. 12.

[s] Limn. ad Capit. Car. V. art. 5.

[t] Aut. des Welt- und Reichs-Spiegels.

[v] arg. l. 2. ff. de jurid.

XXXIX. Ne verò Imperatores aut alii præterequeant, per verba Caroli IV. HAC NOSTRA ORDINATIONE &c. [x] hanc conveniendi facultatem ipsis non in perpetuum, sed tantum usque ad Imperatoris beneplacitum indultam esse, eâ propter specialem de hoc jure articulum inseruerunt Principes Electores capitulationi Cæsareæ [y]. Quod etiam ad hodiernum diem usque observatum esse commemini ex crebra in hoc seculo eorum frequentatione [z]. Et quamvis d. l. & cæteris capitulationibus mentio fiat A. B. tanquam regulæ, nemo tamen inficias ire potest, superesse non paucas differentias inter potestatem congregandi ab Imp. Carolo IV. concessam, & eam, quæ in Capitul. legitur constituta; ut mirari liceat cum Dn. Limnæo [a], quod Electores hic ad normam A. B. Imperatorem remittant, cum tamen praxis ab ea in plurimis recesserit, nisi dicendum, eos hoc ipso docere velle, unde & quando hoc jus obtinerint.

[x] d. t. A. B.

[y] Leop. art. 6.

[z] Osterm. in Epit. A. B. d. t.

[a] ad Capit. Car. V. art. 5.

XL. Utut verò horum Electoralium conventuum magna sit autoritas, tamen non est aded sui valitura momento, ut quæ commune bonum & omnes Imperii Status tangunt, ipsorum arbitrio & decisioni sint relicta. Nam, ut Electores ipsi & legati absentium loquuntur [b], *Worzu aller Ständ Hülffe und Beystand von nöthen/ darüber müssen dieselben auch billig gehöret werden.*

[b] In Convent. R. a. r. i. p. de Anno 1630.

XLI. Quæ itaque jura Electorum, & eorum conservacionem aliaque, quæ extra comitia universalia expediri possunt, concernunt, rectè eò referuntur. Cumque inter sollicitudines illas, quibus pro felicitate Sacri Romani Imperii cor Imperatoris quotidie fatigatur, ad hoc præcipuè meditatio ejus dirigi debet, quæ eorum corda

[c] *A. B. t. 7. § 3.*

[d] *Capitul. Matth. art. 4.*

[e] *Teste Aut. Comiti- sol. Ratisp. p. 27.*

[f] *de Union. frat. de Anno 1521. art. 10.*

[g] *Capit. Leop. art. 6. Verb. und darinn noch weiters.*

[h] *s. 24.*

[i] *In disc. ad l. quis- quis. C. 14.*

[k] *In Exerc. fin. th. 2. lit. d. Conf. Scip. Gen- zil. lib. de conjur. p. 28. § seq.*

[l] *d. l. A. B.*

in sincerâ concordia conserventur, quorum providentiâ suo tem- pore orbi fluctuanti tantò celerius tantòque facilius subvenitur [c], lubenter unionem illam fraternam tam generalem, quæ primitus anno 1446. Francofurti inita, & renovata est Geilnhusi anno 1511. ac Wormatiæ anno 1521, quàm specialem quatuor Electorum Rhe- nensium, institutam Vesaliæ anno 1519. tempore interregni, in suis capitulis confirmare solet [d].

XLII. O quam facile erat, exclamabat ex ore Pyrrhi ille magnus Gustavus Adolphus [e], orbis imperium occupare aut mihi, Germanis militibus, aut me Rege, Germanis! ô quam difficile fore putamus, hisce vigilantibus, hisce concordantibus impunè facere injuriam nostræ Reipublicæ! Nam unterstenge sich auch jemand (uti sonant verba idiomate Germanico conscripta [f]) in welchem Wesen das wäre / das heilige Römische Reich oder einige seiner Zu- gehörung zu schmälern / abzubrechen oder dem Reich etwas zu ent- frembden / oder das Reich zu entgliedern / darwider sollen wir sãmbt- liche seyn/xc. Unde factum est, ut Sereniss. noster Imperator Leo- poldus non solùm hanc unionem ratam esse jusserit, sed etiam in futura pacta inter Electores consenserit. [g]

XLIII. Maximum vigorem magnificentiæ Electorali ad- ditum videmus ex eo, quòd juxta sanctionem Aureæ Bullæ [h] con- spirantes in necem Electorum tum gladiò tum confiscatione bono- rum puniantur, eorumque liberi in perpetuo squalore & sordibus per mœstitiam atque mœrorem vitam transigere cogantur, non se- cus ac si adversus ipsum Cæsarem autores sceleris deliquissent, aut adversus patriam perduellionis crimen tentassent. Idque indistincte sive studiò lædendi Imperatorem sive privato odio in ipsum Electro- rem offensio facta fuerit, per ea quæ habent Jac. Gothofredus [i] & Dn. Ludvvell, [k]

XLIV. Nec est quod acerbitatis in simuletur Imperator, qui rem exaggerando ita respondit [l]: Si cæteros Principes congruit in sua integritate servari, ut corroboretur justitia & subjecti fi- deles pace gaudeant & quiete vivant; multò magis Magnifici Prin- cipatus, Dominia, Honores & Jura Electorum Principum debent il- læsa servari. Nam ubi majus incumbit periculum, ibi majus debet adhiberi remedium, ne columnis ruentibus basis totius ædificii col- lidatur. An verò hoc summum jus ad reliquos Imp. Proceres ex- tendendum sit, non adeo expeditum est. Et quamvis non desint ex

viris

viris consummata eruditionis, qui Carolum IV. etiam illos inclusisse propter rationis identitatem autumant, non tamen vereor cum dexterrimo in juribus meo Doctore Dn. Ludvvello [m] negativam subscribere.

[m] *d.l. lit. B. Add. Scip. Gen. d. lib. 1. de Conjur. p. 29. & seq.*

XLV. Sed progrediendum est ad reliqua singularia. Non postremum est privilegium de Non appellando, quod qui gaudent, sane gaudent regali principio, utpote hoc pacto in consortium ipsius summæ potestatis assumi, & quodammodo Principis supremi collegæ evadere videntur [n]. Absolum itaque visum fuit Carolo IV. id juris denegare Electoribus, de quo exteri gloriantur Reges ac Principes, imò gloriati sunt olim Praefecti prætorio [o], quibus ta-
mentatione dignitatis haud quaquam cedunt, imò tantò major augustiorque est eorum, quanto Imperiali fastigio propior, ejusque quasi legitima & ordinata creatrix videtur, prout eos dilaudat Schar-
dius. [p]

[n] *juxta Bod. lib. 1. de Rep. c. 10. p. 254.*

[o] *in l. 1. §. 1. π. de offic. Pref. Prator.*

[p] *in d. tr. de Elect. proæm.*

XLVI. Hic notam & simul admirationem meretur, quod Archiepiscopi Electores, & Palatinus vel spontaneâ renunciatione, vel non utendo, vel alio modo hoc regale in fumum abire passi fuerint, secus ac reges Bohemiæ, Electores Saxonix & Brandenburgici, (ut ut Heigius [q] & Dom. Arumæus [r] istos amisisse, ac postea per singularem concessionem ab Imperatore Rudolpho II. denuò recuperasse scribant) qui illud in suo semper flore & vigore conservarunt, suumque jus quæsitum fortissimè tueri nunquam non sint soliti [s].

[q] *p. 1. q. 4. n. 32.*

[r] *disc. 5. ad A. B. concl. 13. in fin.*

[s] *Dn. Carpzov. in diss. de priv. non appell. Saxon. th. 17. post Dd. ab eo allegg.*

[t] *A. B. 1. 11.*

[v] *In Wäntzischer und Pfälzischer Hofgerichts-Ordnung ap. Dn. Lim. lib. 3. c. 9. n. 7. ac c. 9. n. 88.*

[x] *De refer. Imp. §. 43. n. 9.*

[y] *de An. 1654. §. und steht diesem nächst 125.*

[z] *in Syn. jur. publ. c. 10. §. 27.*

XLVII. Et quamvis Carolus IV. in firmitatem istius privilegii, clausulas, si quid contra illud nihilominus contingeret, irritantes adjecerit [t], & nonnulli ex illis Electoribus, postquam facultatem à se appellandi ex benignitate permiserunt, protestando jus suum reservarint [v], tamen non frustraneum esse puto cum J. H. Stamlero [x], quod in novissimo Recessu Imperii [y] de novo concedatur unâ cum reliquis Imperii statibus Electoribus, ut pro consequenda majori, intra quam ab eorum judiciis non appellanda, summa, Imperatoriam indulgentiam implorare queant. Electorem verò Bavariæ, utpote in quem demum anno 1623. hæc dignitas est collata, idem privilegium à Ferdinando II. accepisse, tenet Wilhelm. Beckerus. [z]

XLVIII. Non minimam majestatis particulam arguit jus universas auri & argenti fodinas atque mineras stanni, cupri, ferri, plumbi,



plumbi & alterius cujuscunque generis metalli, ac etiam salis tam inventas quam inveniendas tenendi. Constat enim ex constitutione Heinrici V I, cujus Goldastus mentionem facit [a], quod hoc Regale Argentinarum Imp. sibi soli per universum imperium olim vendicaverit. Hinc etiam ad canonem eorum illis praestandum cuncti, qui sub Imperatore vel Imperio Romano metalli fodinas habebant, indifferenter tenebantur: iis duntaxat exceptis, qui singularibus Impp. vel Regum Rom. privilegiis exemptionem & immunitatem impetraverunt [b].

[a] in 1.3. Const. Imp. pag. 363.

[b] Gold. de Regn. Bohem. lib. 4. c. 11.

[c] A. B. 1. 9.

[d] tit. 4. Chron. Metall.

X L I X. Ne verò quid Electoribus deesset, quod ipsorum virtutes & officia in Reipubl. usum masculè praestita promereri videntur, hoc ipsum jus, sicut Regi Bohemiae specialiter, ita & cæteris Archipp. in genere largitus est dilaudatus Imp. [c] Exinde si præter Reges Bohemiae etiam Electores Saxoniae ditissimi evaserint, non est quod miremur. Juxta calculum enim P. Albini [d] hat allein das Schneebergische Bergwerck innerhalb 79. Jahren dem Chur- und Fürstlichen Hause Sachsen zum Zehenden und Schläge. schatz geben 41118. Tonnen Gold/ und also ein Jahr in das ander gerechnet/ jedes Jahr biß in 520. und eine halbe Tonnen Goldes/ Aufbeute geben.

[e] Goldast. 1.3. Const. cap. 18. p. 157.

[f] R. I. zu Nürnberg de Anno 1524. S. der gleichen 25.

[g] d. 1. 9.

[h] R. I. de An. 1570. S. als dann auch 132. item Ferdinand Münz-Ordnung de An. 1559. S. 175. Et seq.

[i] Capitul. Leopold. art. 33.

L. Eum in finem eadem benignitate adjectum est jus non tantum argenteam, sed etiam auream cudendi monetam. Egregium probatae fidei argumentum! Quod inde liquet, cum enim res monetaria adeo fraudibus sit obnoxia, ut ea propter ex Caroli M. mandato nullibi nisi in palatio suo cudere monetam fas fuerit [e], eandem ob causam nunquam non cum locum tenente Caroli V. Ferdinandò I. Electore Saxoniae, & aliis qui fodinas habuerunt Proceribus de hujus juris renunciatione actum fuerit [f], nihilominus Archipp. nostris, utpote quorum fides in aliis gravioribus perspecta fuit, hoc jus credere Imperator nullus dubitavit [g].

L I. Cæteroquin etiam exinde dignoscitur, cujusnam momenti sit, quod tenore conventionum publicarum [h] nemo eorum, qui hoc regale tenent, valeat illud vendere vel ullò alienationis titulo in alium transferre sub pœnâ privationis. Hinc quoniam edictorum hæc de re emissorum debitam rationem non omnes habeant, factum est, ut res monetaria verè sit communis materia eorum, de quibus agitur in Comitibus, neque sine consensu Electorum ulli statui in posterum concedere queant Impp. [i].

LII. Non

LII. Non minoris compendii ac momenti res est jus exigendi telonia, quod similiter olim solummodò residebat penes Imperatorem [k]. Cùm autem (ut Julii Pflugii [l] verba mea faciam) post excessum Friderici II. Principes nationis nostræ præsidio Principis sui detituerentur, nec haberent à quò defenderentur, opes ipsi suas quibuscunque rebus possent, firmarunt: & multa eorum quæ ante Imperatorum fuerunt propria, ad se transtulerunt: ut cùm quisque in ditione suâ & regendâ & tuendâ munus Imperatoris obiret, ipse ejus nervis & quasi viribus niteretur.

[k] Lehm. in Chron. Spir. lib. 2. c. 44. p. 190.
[l] in Orat. de Repub. Germ. p. m. 31. & seq.

LIII. Proinde factum est, ut teloniorum de præterito indictorum perceptio, quæ alioquin ad Imperatorem spectabant, Electoribus, utpote quorum ditiones præ aliis hostium depopulationibus fuerant expositæ, non tantùm à Rudolpho I. & sequentibus Imperatoribus non revocata, sed etiam à nostro Carolo & ejus successoribus concessa & communicata sit, adeò ut hodiernò die non Cæsaris modò, sed Electorum quoque reputatio in vectigalium erectione versari dicatur passim in Recessibus Imperii [m].

[m] de Anno 1576. S. Weiters seynd wir 116. & duob. seqq.

LIV. Ad prædicta accedit etiam jus recipiendi Judæos, quod sanè meretur, ut inter regalia obtineat locum [n]. Quidnam autem utilitatis concessione hujus juris transferre voluerint Impp. non inter omnes constat, imò non desunt, qui in receptione ejusmodi hominum plus mali quàm boni Reip. inferri existiment. Hinc non pauci tam Electorum quàm cæterorum Imperii Procerum huic privilegio renunciârunt [o], quin & receptos exemplis Regum Galliarum, Hispaniarum, &c. abire & nunquam redire jufferunt. Verùm si quis rectâ reputabit viâ, quâ lege, quâ conditione hæc gens hîc vel illic recepta sit, dixisse forsitan eum non pœnitebit: non citra damnum solùm, sed bono etiam cum emolumento Reip. eam tolerari posse [p].

[n] Reformation zu Augspurg de An. 1548. c. von den Juden und ihrem wuchern. 20.

[o] Wehner. in obs. pract. Soc. Juden.

[p] Dn. Ludvel. in pralect. ad l. 1. Cod. de Judæis.

LV. In constitutione quadam Conradi IV. * legere licet, quòd Judæi degentes ubique per terras Imp. Jurisdictioni subjectas Christianæ legis & Imperii prærogativâ servi sint Imperatoris Camerae speciales. Effectus hujusmodi servitutis nisi prorsus idem, non tamen multùm dissimilis ab eo videtur, qui est servitutis jure gentium introductæ. In hujus rei fidem facit illud privilegium Caroli IV. [q] quò cassantur debita & fidejussiones, quibus Johannes & Albertus, Burggravi Norimbergenses, Judæis obligati fuerant, vi & potestate Cæsarea, vel ut verba habent, wann wir das von unsern

* ap. Gold. 2. 2. const. pag. 85.

[q] Limn. t. 4. ad lib. s. c. 7. n. 138. pag. 845.

C

Königli

II. Non

Königlichen Gewalt und Macht wol gethun mögen / und auch alle
 Juden mit Leib und mit Gut in unser Cammer gehören / und in unser
 Gewalt und Händen seyn / daß wir mit unser Macheigkeit darmit
 thun und lassen mögen was wir wollen. facit & illud [r] quô idem Im-
 perator Wormatiensibus Judæos ibi habitantes pro propriis dona-
 vit mancipioque dedit. Non itaque de nihilo est, si Electores hoc
 jure, de quo in Carolinâ sanctione [s] & alibi satis provisum, uti frui
 voluerint.

[r] *Id. ad lib. 7. c. 56. pag. 370.*

[s] *A. B. 1. 9.*

L V I. Et quamvis omnibus regalia habentibus hoc & alia
 plura jura, puta jus cudendi monetam, telonia percipiendi, &c. quo-
 rum proximè commemorari, & sic non minima pars Regalium cum
 cæteris S S. Imperii membris sit communis, tamen si proprietatem
 & naturam illorum ad horum qualitatem vocemus, non parum dis-
 criminis apparebit. Ut non dicam, quod dixit Comes [t]:

[t] *in Adelph. a. 5. sc. 3. v. 37. & 39.*

Duo cum idem faciunt, non est idem.

Non quod dissimilis res sit, sed is qui facit.

privilegia data cæteris Imperii Statibus ne in minimis quidem Ele-
 ctorum juribus præjudicare debeant [v].

[v] *A. B. 1. 13.*

L V I I. Singulare quoque sed commune Electoribus est il-
 lud, quô possunt à quibuscunque Principibus, Magnatibus, Comi-
 tibus & aliis personis quascunque terras, castra, possessiones, sive
 bona emere aut in obligationem prædiorum seu bonorum recipere
 consuetâ tamen conditione, ut videlicet propria recipiantur vel com-
 parentur ut propria, libera velut libera, & ea quæ dependent in feu-
 dum, similiter emanantur in feudum, seu comparata taliter teneantur
 & jura sacro imperio debita reddantur [x]. Quale hoc privilegium
 sit, non conveniant Dd. & ingenuè fateor, mihi nondum contigisse
 ullum videre, cujus ductum tutò sequi possim.

[x] *A. B. 1. 10.*

L V I I I. Sic hodie Camera Imperialis Electores Principes
 singuli non secus ac quondam [y] Regimenti assessorem repræsen-
 tant [z], licet reliqui ordines conjunctim nomine circulatorum suo-
 rum id faciant, in quibus plures sunt Principes aliique Status cum iis
 conjuncti: ut ita singuli Electores singulos Principes potestate no-
 tabiliter excellant, sicut & alias soli, ut ut pauci, Electores integram
 constituent classem, quæ toti Principum classi æqualis est, in omni-
 bus imperii conventibus [a].

[y] *Ordnung des Regiments zu Augsburg de Anno 1500.*

[z] *Cammergerichts. Ord. part. 1. t. 1.*

[a] *Hyppol. à Lap. de R. St. p. 1. c. 17.*

LIX. Hinc

LIX. Hinc cum annò 1654. in comitiis Ratisponensibus quidam Principes ex August. Confessione addictis Electorum separationem circa conventum deputatorum desiderarent, ita nimirum ut more cæterorum Principum certi ex ipsorum collegio sibi conjungerentur, & sic ex duabus classibus una constitueretur, strenuè suam præ aliis prærogativam tutati sunt per ea, quæ reperiuntur apud Limnæum [b].

[b] r. 5. ad lib. 9. cap. 1. n. 239. conf. Hortled. vom endlichen Ausgang des Teutschen Kriegs lib. 5. cap. 13.

LX. Ab iisdem quoque nihil pro investiturâ numeratur, quotiescunque feudum ab Imp. recognoscunt [c]. Nam, ut hanc rationem assignat ipse Imperator, pecunia quæ tali prætextu persolvitur, officialibus debetur. Cum ergò ipsi Principes Electores cunctis imperialis curiæ præ sint officiis suis etiam habentes in officiis hujusmodi substitutos, datos ad hoc à Romanis Principibus & dotatos, videretur absurdum, quòd substituti officiales à suis superioribus quocunq; quæ sitò colore encenia postularent, adeòq; tribuit Electoribus potestatem in ipsam curiam imperialem.

[c] A. B. r. 26.

LXI. Non desunt alia, quæ aliquam Majestatem sapiant: sic jura belli & quod hisce connexum est jus fœderis, indulgendi delicta & pœnas remittendi capitales, & complura alia, quæ respectu territorii illis ex singulari jure competunt, exercere possunt [d]. Cum autem cæteris quoque imperii Statibus ea sint communia, & instituti mei ratio tantùm exigat jura Octovirùm quâ talium singularia, sicco pede illa transgrediens ad reliquam divisionis supra propositæ partem nunc pervenio, in quâ ut brevior sim, monet imposita festinatio.

[d] De quibus Dn. Limn. lib. 4. de I. P. cap. 8.

LXII. Circa hanc primò locò dicendi veniunt Ecclesiastici Moguntinus, Trevirensis & Coloniensis Archiepiscopi eminentissimi, triga Electorum reverendissima. Et fortasse non videor vagari extra orbitas, si prius inquiram in rationem, cur Ecclesiastici in Senatum Electorum asciti? cur isti & non alii? Quod ad posterius, si credere fas est Windeckio [e], in causâ fuit, quòd isti Archiantistites fuerint Germaniæ principales & digniores tractum cis & ultra Rhenum possidentes.

[e] in tract. de Elect. Imp. c. 11. Onuphr. Panv. de Comit. cap. 6. n. 29.

LXIII. Quod verò prius attinet, nemo non mirabitur, qui relatum legit vetustis temporibus eorum officium præter curam Ecclesiasticam nihil respexisse [f]. Hinc cum Bruno à suo Germano Ottone I. Imperatore in Episcopum Coloniensem & simul post excessum Conradi Ducis Lotharingici in ejusdem locum promotus

[f] Lehmann in Chron. Spir. lib. 2. c. 35.



[g] *Id. lib. 4. c. 3.*[h] *Matth. Steph. de
Jurisd. lib. 2. p. 1. c. 5.*
[i] *In Orat. pro Rep.
Germ.*[k] *d. l. 4. c. 3.*[l] *Dn. Limn. d. l. P.
lib. 3. c. 7. n. 12.*[m] *H. Meibom. d.
jur. in Episc.*[n] *Lehm. lib. 5 c. 67.*[o] *Vid. Gold. in
Reichs Saqung. p. 215.*

esset, visum est plerisque hoc ipsum ut novum & inauditum exemplum [g]. Sed desinet mirari, si perceperit ex eodem scriptore, quibus mediis non solum Jurisdictionem baculi pastoralis, sed etiam iudicii gladii temporalis consecuti fuerint. Quibus effectum est, ut crediderint veteres sine sacerdotum interventu nihil felici omine posse expediri, ac ita demum in portu consistere, si ex togata, & armata militia senatus secretior constaret [h]. Alia ratio est Jul. Pflugio [i], nempe cum Ecclesiasticis ad Imperialem dignitatem aditus præclusus omnis, spesque incisa, ne causam tamen haberent, cur Imperiale diadema ambirent, factum ut in Electorum numerum cooptarentur.

LXIV. Num autem hæc politicarum rerum administratio conveniat Episcopali dignitati ex sacro codice petita? est alia quaestio, quam Witichindus allegatus à dicto Lehmanno [k], dum Brunonem Pontificis simul & Ducis magni officium gerentem, ne quis eum culpabilem super hoc dixerit, exemplò Samuelis & aliorum sacerdotum, qui simul audierunt iudices, adjuvat, affirmativè decidere non dubitavit. Mihi convenientius videtur hanc quaestionem tanquam à scopò alieniorem aliis & præsertim Theologis discutendam relinquere.

LXV. Nunc demum, ut ad propositum revertar, videre lubet, quomodo ad dignitatem Electoralem hi Archiepiscopi evehantur. Commune quidem est ipsis cum Secularibus vi & virtute principatum suorum hoc juris adipisci [l]. Sed nanciscuntur eam aliò quàm seculares medio nimirum Electionis vel collationis. Illa fit communi vel plurium capitularium suffragio: Hæc ab Imp. & Pontifice, si forte emerferit aliqua in eligendo difficultas.

LXVI. Olim equidem præter Imperatorem hoc jure collationis nemo gaudebat, sed postquam Henricus V. jus investiendi Episcopos cedere coactus est, ex eâ transactione ad Pontificem devoluta est confirmatio Archiepiscoporum per baculum: ad imperatorem collatio bonorum temporalium per sceptrum [m]; quam tamen ipsam potestatem ut factam tectam habuerint Impp. sequentes tantum abest, ut maximè Pontifices eam ad se traxerint [n], & coacti Episcopi Germaniæ multis aureorum millibus, pallium quod vocant, redemerint [o].

LXVII. Commodè hinc quaeritur, an nostri Archipræsules etiam prius quàm à Pontifice illud pallium acceperint, ab eòq; confirmati

firmati sint, jus eligendi Imperatorem habeant? Et quamvis negotium facessere videantur concordata Germaniæ, quibus Impp. tenentur omnibus Ecclesiasticis denegare regalia, nisi confirmatis à Pontifice; nihilominus, quia concessum est jus suffragii Archiepiscopis non ut personis Ecclesiasticis, sed ut principibus Germanici Imperii [p] dicendum esse existimo, eos non minus ac qui dudum confirmati & infulati sunt, aut Seculares nondum investiti, posse Imperatorem eligere. In hujus sententiæ fidem facit observantia, quam multis præjudiciis confirmat Dn. Limnæus [q].

LXVIII. Sed quid in casu vacantis sedis, nondum electo eligendô? Capituli legatos admittendos esse, tantum non mihi persuasit Goldastus [r] allegandô præjudicium Capituli Coloniensis, quod anno 1562. vacante sede Archiepiscopali fuit ad electionem Maximiliani I I. citatum, aded ut legatos nomine capituli in confesum suum tamdiu admiserint, donec novus Electus procuratorium legatis suo nomine renovarit & confirmarit. Sed ut ab hac sententiâ recedam faciunt ea, quæ tradit modo laudatus Dn. Limnæus [s] præsertim cum allatum exemplum non ita se habeat, ut huc applicari queat; quippe, teste Dn. Carpzovio [t], Electores noluerunt progredi ad actum electionis priusquam in locum Joh. Gebhardi Coloniensis ipsô conventus tempore lucis usuram reddentis, alius surrogaretur Archiepiscopus & Elector in Capitulo Coloniensi.

LXIX. Quemadmodum verò supra ostensum est, virtute Archiepiscopatum Electoralium nostros Archiantistites dignitatem tenere Electoralem: (unde constat & dignitates & terras Electorales indivisibili cohærere nodo) ita verisimile est iisdem ex causis Electoratu eos privari, ex quibus principatu privantur. Si igitur contra Imperatorem vel Imperium aliquid committant, dignum gravissimâ pœnâ, æque regalibus privantur ac Seculares, hõc tamen cum discrimine, ut ordinariæ Banni imperialis pœnæ, sicut illi, ne utiquam subiaceant [v].

LXX. Præter dicta præcipuum quoque est, quò nostri gloriantur, munus Archi-Cancellariatus. Hujus originem & causam sciendi si quem cupido tenet, eum non pœnitebit consuluisse Lehmannum [x]. Juxta ejus tradita & prout Budæus [y] hujus muneri connexa complexus est, ejusmodi Cancellarium rerum omnium cognitione, omni doctrinarum virtutumque genere instructissimum & omnia in numerato habuisse necessariò, post Dn. Limnæum [z]

[p] Geil. lib. 1. obs. 39.
n. 12. Buxdorff. ad
A. B. thes. 18. lit. B.

[q] d. I. P. lib. 3. c. 3.
n. 41.

[r] d. Regn. Bohem.
lib. 3. c. 6. n. 26.

[s] d. I. n. 254.

[t] Disp. feud. 2. q. ad
A. B. 5. n. 9.

[v] Geil. de PP. lib. 1.
c. 8. n. 13.

[x] lib. 2. c. 7. in f. 8.
Chron. Spir.

[y] In priorib. ad
pandect. annot. ad
tit. d. offic. prefect.
prator.

[z] d. I. P. lib. 3. c. 3.
n. 12.

[a] *refte Kirchn. ap. Dn. Carpz. in d. disp. 3. q. 4. n. 29.*

etiamnum non frustra dixerim. Cumque Clericorum nominibus & monachorum claustris omnis prope literarum facultas teneretur [a], antequam LL. Civiles in Academicam cathedram reductæ erant, mirum non est si Archicancellarii officium atq; dignitas, sacerdotibus & Theologici studii peritis potissimum comendata legatur.

[b] *Lehm. d. l. lib. 3. a. 67. p. 536.*

LXXI. Et quamvis hoc officium primitus non tantâ, quantâ hodie, vigeret dignitate, tamen postea hinc inde videre licet [b], in præmium & recompensationem bene præstiti officii opulentos tam Archiepiscopatus quàm Episcopatus cessisse, & hoc ipso magnam dignitatis lucem huic muneri allatam esse, adèd ut hodie magnus Archicancellarii, cui nostri laudatissimè præsent, non tantùm sit sublime, ac inter Palatinas dignitates apex honorum & veluti animi ambientis honoristitium, sed etiam nomen ejusdem dignitatis in propriæ & hereditariæ dignitatis appellationem ferè abierit, non aliter ac Archiducis nomen, ut præter tres hosce viros, quibus &

[c] *d. l. q. 5. n. 1. propter ejus subsc. in R. l. d. anno 1566.*

quartum addit Dn. Carpzovius [c] Abbatem Fuldensem Romanæ Imperatricis Archicancellarium, nemini assignetur in Imperio sive Regis sive Electoris, magnive Ducis Cancellarius sit, qui vicem alterius sub se habeat.

[d] *d. l. 3. c. 3. n. 30. § 31.*

LXXII. Peculiare quoque est, quòd hi Archiepiscopi plerumque nomine nepotum salutentur ab Impp. Non eandem rationem reddunt Dd. Mihi non integrum est in veritatem ejus inquirere. Consulat qui volet sæpius prædicatum & semper præconiis meis majorem Dn. Limnæum [d]. Quo ordine & quomodo in celebratione solennis curiæ Imperatoris vel Regis Romanorum nostri principes Ecclesiastici sua officia exercere soleant & debeant, clariùs & magis perspicuè traditur in sanctione Carolinâ, quàm ut meâ indigeat additione [e].

[e] *A. B. 1. 23. ad quâ vid. Rumel. p. 3. diff. 1. rhes. 6. § diff. 5. th. 18. A.*

LXXIII. Hactenus de iis quæ sunt Electoribus Ecclesiasticis specialia, superest, ut videamus similiter quæ sint secularibus, ita tamen si nonnulla Regi Bohemiæ non æquè ut cæteris conveniant, ut ea notanter dicantur. Non immeritò abhinc fit initium, unde ipsi suæ dignitatis originem quodammodo accipiant. Notum est, quòd hi Archiprincipes Electores æque ac supra memorati Archipræsules virtute principatum suorum fiant legitimi Electores [f], ita ut si Rex Bohemiæ Bohemiam, Palatinus Palatinatum, Saxo Electoralem Saxoniam Ducatum, Brandenburgicus item Electoralem terram, addo & Bavarum, si eam partem, quæ huic dignitati

[f] *A. B. 1. 7.*

tati adglutinata est, legitimo titulo & jure acquisiverint, eligendi
Caesaris potestatem obtineant.

LXXIV. Obiunt verò optimò titulo, quando succedunt
vel jure familiae vel pacti gentilitii quod confraternitatem vocant.
His enim familiis Ducum videlicet Bavariae, Saxoniae, Marchionum
Brandenburgensium & Comitum Palatinorum dignitas Septemvira-
lis eà lege est alligata, ut patre mortuò aut agnato illa cum heredita-
te transeat in filium natu maximum aut agnatum proximum, ætate
ceteros antecellentem, & si heredes desint neque pacta confrater-
nitatis intercesserint, autoritate Imperatoris & summi Collegii
transferatur in aliam familiam. Paulo secus est, quoad regem
Bohemiae, qui ab indigenis proceribus per suffragia constituitur,
adedò firmiter, ut talis in hoc jure ab imperatore impediri ne-
queat [g].

[g] A. B. t. 7. C. 2.
S. f.

LXXV. De cætero hic monendum est, quòd huic dispo-
sitioni neutiquam per capitulationem, quã Imperator juratò pro-
mittit principatus ad se devolutos reservaturum imperio & nun-
quam re infeudaturum, derogetur, tum quia Reip. interest, ut, si
qua columnarum, super quibus totius structurae pondus hætenus
quievit, decidat, in ejus locum nova substituatur, ne moles cui su-
stinendæ septem tantum sufficere antiqui in arte periti determinã-
runt, numero paucioribus periculose paulisper innixa concidat,
tanquam subductis & a columnis; tum quòd hoc admisso præter
Ecclesiasticos quorum Archiepiscopatus (quibus Electoratus inhæ-
rent) nunquam ut vacui, devolvuntur, nulli superfuturi sint Ele-
ctores, non absque magnâ deterioratione Aureæ bullæ, cujus ta-
men vigor & vita tam necessaria est imperio, quàm corpori ner-
vus [i].

[h] Capit. Leop.
art. 30.

[i] Limn. r. r. addit.
ad lib. 3. c. 7. n. 69.

LXXVI. Priusquam à puncto successionis, cui tantum in-
ter seculares locus datur, digrediar, videndum omnino quinam fi-
liorum in Electoratu succedant. Verus est quicumque dicit, Ele-
ctoratum non tam patris beneficio, quàm L. L. Imperii deferri: san-
guinis conjunctionem esse subjectum potius, quàm causam succes-
sionis ac primogeniti prærogativam paterno arbitrio non succum-
bere. Unde primogenitus proprio jure simul atque in lucem editus
est, jus successionis adipiscitur tam firmum & fixum, ut donec ex
ipso descendentes supersint, neque secundo - neque tertio - genitus,
quà ætate, quà gradu ad successionem vocentur, ex mente nostri

Caro-

[k] *A. B. d. t. 7.*

[l] *Lamp. de Rep. c. 4
§. 10. & seqq.*

[m] *l. 5. §. de senator.
l. filii. 22. §. Senato-
res. §. 7. ad municip.*

[n] *Dn. Carpozov.
d. f. 4. q. 4.*

[o] *A. B. t. 7.*

[p] *Goldast. in Pottst.
schen Reichs Händeln.
P. 2. p. 29.*

[q] *d. A. B. t. fin.*

[r] *in l. 11. ff. de
testam. int.*

Caroli IV. [k]. Eadem ratio est in reliquis, ut sicuti tota primogeniti posteritas secundum genituræ ordinem, secundo-genito cum omni progenie, ita secundo-geniti profapia tota tertio-genito præponitur [l].

LXXVII. Hinc cognitu difficile non est, quid dicendum si quærat, an primogenitus ante adeptionem Electoratus natus, ei, qui in Electorali fortunâ natus est, præferendus sit? scilicet omnino. Quemadmodum enim successio in bonis paternis dimetienda ex tempore mortis, non habitâ ratione acquisitionis, ita nec in Electoratu momentum adeptionis attendi debet. De veritate hujus decisionis securos esse nos jubent & textus Juris communis [m] & observantia in exemplo Christiani II. Saxoniae Electoris, hodiè feliciter gubernantis Dn. & Nutricii mei Clementissimi, Benignissimi patris, qui licet natus Anno 1583. vivente adhuc avô Augustô Electore, quo tempore parens Christianus I. Electoriâ dignitate nondum fulgebat, successit nihilominus post obitum D. parentis in Electoratu, Dn. Dn. fratribus exclusis, ut maximè tertio-genitus Augustus Anno 1587. à patre Electore prognatus esset [n].

LXXVIII. Et quia facilè contingit, ut legitimus successor ætate minor rebus ex dignitate Electorali gerendis sit impar, consuluit Carolus minorennibus, quos octodecim annis circumscripsit, ac proximum agnatum lege publicâ eis præstituit tutorem [o]. Secus tamen id est in Bohemo, ut videre licuit in Electione Caroli V. cui proceres regni lege minorennis suffragium dederunt [p].

LXXIX. Cumquæ educatio potissima pars sit officii tutorii, & non solum utile, sed & necessarium esse putetur, ut Electorum filii præter vernaculam seu Teutonicam insuper Italicam & Illyricam (de Latinâ ne verbum quidem in autographo) discerent, non minus tutor ac pater tenetur curare de harum linguarum informatione, relicto libero arbitrio [q] quem modum addiscendi ex præscriptis eligere velit; hoc ipso tamen non prohibetur, quò minus etiam aliis putâ Latinâ, Gallicâ, &c. instituantur.

LXXX. An verò hæc Juris publici tutela exigenda sit ad Juris privati regulam [r], quâ legitima cessare dicitur, quam diu speratur testamentaria, vulgatæ quidem sed & intricatæ quæstionis est. Non obstantibus quæ negativam fulciunt, rem acu tetigisse videntur, qui Justiniani constitutioni etiamnum locum esse relictum autumant.

LXXXI.

LXXXI. In cæteris à Jure privato recessum esse, evidentius est, quàm ut probari opus sit. Sic infiniendâ tutelâ ultra 18. annos plures non requirit Carolina constitutio, siue impubes siue minoris sit relictus. Hisce completis cum dignitate Electorali simul administratio Principatum ac Ducatum ipsi restituitur [r]. Factum hinc, ut, cùm Christianus II. dilaudatæ memoriæ annos legitimos complevisset, Fridericus Wilhelmus Administrator Saxonici Electoratus siue tutor, ei non solùm Electorales, sed & cæteras Ducatum terras restituerit [s].

[r] A. B. 1. 7.

[s] Dn. Carpzov. de Feud. 4. 9. 5. n. 12.

LXXXII. Cùm multæ quondam & variæ maximò sæpe cum detrimento Imperii inter Principum Electorum filios & hæredes de successione & divisione essent exortæ dissensiones, similitates & æmulationes, ut liquet ex historicorum monumentis, Carolus noster & huic malo duplici sanctione obviare voluit, nempe ut unus tantummodò in iis succedat & quidem primogenitus, de quo paulò supra, & indivisibiles sint Electoratus [t], ad exemplum reliquorum Principatum, quos dividi non debere, Fridericus Imperator constituit [v].

[t] A. B. 1. 20. § 24.

[v] 2. F. 55. §. præterea.

LXXXIII. Sicut Ecclesiasticorum quilibet salutatur Archicancellarius, licet non unius ejusdemq; regni, cujus officii intuitu Imperatore vel Rege Romanorum ad mensam ingresso, præmissâ benedictione Episcopali, sigilla & typaria Imperialia siue Regalia reverenter in mensâ ponant, vel id genus alia, quæ ad ipsorum munus pertinere videntur, facere jubeantur [x]: ita eadem sanctione constitutum est, ut certa sint Electorum quoq; Secularium officia. Hinc Bohemus Archipincerna, Palatinus Archidapifer, Saxo Archimareschallus, Brandenburgensis Archicamerarius & hodie mutato rerum statu Palatinus (in cujus dapiferatu Bavarus surrogatus est [y]) Archithesaurarius audit [z].

[x] A. B. 1. 29.

[y] Instr. Pac. Osna-bruc. art. 4. §. 3.

[z] R. I. de An. 1654. in subscr.

LXXXIV. Si quis autem quæsierit, quonam tempore & autore hæc officia vel instituta vel variata & exambulatoriis perpetua facta sint, eum brevitatis ergo ad Lehmannum, Dn. Dn. Limnæum & Conringium, qui pluribus hanc rem egerunt, remissum volo. Hic pro tempore sufficiat allegasse ea, ex quibus Archiprincipum Electorum dignitas non parùm adaucta videatur. Nec efficiet ille Andius sine bono [a], ut quisq; credat horum officiorum intuitu Principis servorum instar olim à Cæsaribus esse habitos. Quemadmodum enim Majestas Imperatorum inde clarescit, quod non ho-

[a] lib. 1. de Rep. c. 9.

D

mines

LXXXI.

mines vulgares & plebejos suis ministeriis, non pueros delicatos suis tricliniis, sed principes adhiberi voluerint: Ita nec Principes ipsi suæ dignitati indecora illa ministeria unquam habuerunt, sed potius ambierunt, teste Dn. Carpzovio post alios ab ipso allegatos [b],

[b] in tr. de L.R.c. 10. f. 6. n. 3.

LXXXV. De horum investiturâ conferendâ non conveniunt publici juris scriptores. Sed qui eam ad Episcopum Bambergensem rejiciant, quasi Electores per vicarios suos ab eo speciatim petere necesse haberent, non possunt non succumbere convicti per ea, quæ habet Dn. Carpzovius [c]. Tutius itaque est cum modò & sæpius, nunquam verò satis laudato viro asserere, quod Electores officia sua respectu saltem quorundam bonorum & reddituum in feudum ab Episcopatu Bambergensi recognoscant, ut Episcopalia, quæ per Vicarios suos ex Equestri ordine, quibus deinde in subfeudum ea concedunt, gerere ac deservire assolent [d].

[c] in Diss. feud. ult. q. ad A.B. 1. 28. Add. M. Magerus à Schönberg, de Ad Soc. arm. c. 5. n. 420. usq. ad 427

[d] Conf. Dn. Limn. in prior. addit. ad lib. 3. c. 7. n. 77.

LXXXVI. Alia ratio est officiorum Electoralium, in quorum administratione Electoribus nostris Secularibus (Ecclesiastici enim suos subofficiales habere non leguntur) subveniunt Dominus de Limburg, Baro de Walpurg, Comites de Bappenheim & Hohenzollern. Adde hodie Comitem de Sinzendorf. Hæc enim officia & feuda immediatè ab Imperatore recognoscere & ab aula Cæsareâ solenni ritu accipere nostros Archi-Principes notius est, quam ut verbis egeat [e].

[e] Freher. ad Petr. de Andlo lib. 2. c. 15.

LXXXVII. In muneris hujus vicarii vicem præter alia privilegiorum commoda, quæ habent subofficiales, etiam ea, quibus ministrarunt in Curia Electores, instrumenta una cum equis, quibus insederunt, ad eos deveniunt [f]. Inter hosce subofficiales & aulae Cæsareæ ministros, item inter legatos absentium Electorum litem aliquoties exortam fuisse, per quosnam officia Electoralia expediri debeant, tradunt hinc inde Juris Imperialis consulti. Verùm si rationem Juris, siue observantiam quis attendere velit, pro his sub-officialibus respondere non dubitabit. Neque ego habeo aliud quod addam, quàm vulgatum

[f] A.B. 1. 20.

TANTUM.

Dn.

Dn. Commensali suo

De

JURE ELECTORUM PRINCIPUM

disputaturo

Congratulantur, applaudunt

Convictores Rittershusiani.

*Q*ua vitam faciunt dulcem & amabilem
 Aut famam pariunt nominis arduam
 Docto, candide Amice,
 Nobis ingenio probas.

*Felicem numeras, non, vaga pluribus
 Quem fortuna beat facibus; Innocens,
 & pulchrè placet acta
 Vitæ Messis adorea.*

*Rectè: Nam spatium mobile temporis
 Transegisse pius qui studet ut senex,
 Felix ille beatusq;
 Heres ipse sui cluit.*

*Quid cunctaris, idem? Te quoq; laudibus
 Emetire tuis: Navigiis parem
 Quin te ostendis, in Umbrâ
 Quæ se, cum placidum mare,
 Mirantur propria. Perge, Favoniis
 Fausto Remigio concomitantibus,
 Hoc virtutis iter, præ-
 clara hæc perge sis Equora.*

*Exponat viridi margine Te Tuus
 Asser, Lauricomis undiq; nobilis,
 Mordebitq; fidei
 Terram littoris Anchorâ!*

F I N I S.

Dn.

QKTA 2120

MUSEUM TRINITY

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

F I N I S

QK
107



BIBLIOPON



POTENTISSIMO
 DOMINO,
 GEORGIO II.
 ALLO ET ELECTORI,
 CI
 via & Montium,
 IONI
 que Lusatiæ,
 RAVIO
 gia,
 RAVIO
 rgenfi,
 TATE COMITI
 ergia,
 TI
 vensburg,
 STA
 in, &c
 lementissimo
 citium Academicum in fidem
 pro innumeris sibi suisq; inde
 is annis liberali manu exhibi-
 in subjectissimam ulteriorem
 ationem dicat
 nis
 sequentissimus & humillimus
 Fried-Hermannus à Beichling.



homir
 minus
 effet à
 VII. r
 gravita
 I
 fulti d
 detun
 Unum
 Amic
 Bonu
 Poten
 Dies
 Fuga
 Ratio
 Credi
 Corni
 Volun
 Denar
 Deus
 I
 a quo
 corpu